DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXI. MART.

M. PETRO PERREAV Doctore Medico, & Chir. Profeſ. Præſide.

1083

An Melancholicis Venus?

SIBI naturæque iniurius eſt, qui de ſua ſorte queritur: ſtultus qui dum cæteris longo præſtat interuallo, omnium ſe infimum iudicat. Homo cœleſtium & elementarium particeps iucundo amborum nexu fœlix perfruitur. Corpus obtinet tanto adornatum artificio, vt perfectiùs neque ſit in natura, neque animo fingi poſſit. Summam eius dignitatem commendant ſtructura & temperies: illa ſublimis & recta patriæ noſtræ memores eſſe jubet, quam intueri ſemper jubet; hæc vt inter omnes media, ſic præſtantiſſima, ſic exacta cæterarum omnium menſura: vtráque ad actionem conducit, ſed ſuo vtraque modo: ſtructura vt ortu nobilior, ſic nobiliorem ſibi in actione partem vindicat. Actionis parens primumque principium anima eſt, quæ ſtructura vtitur & temperie tanquam propriis inſtrumentis: hæc quamdiu in corpore habitat, quaſi alta merſa caligine, nihil habet à ſe, eſt inſtar tabulæ raſæ, in qua nihil actu deſcriptum eſt; res circumiectas per ſenſus, tanquam per feneſtras intuetur, ab ipſiſque ita pendet, vt eorum ope deſtituta, quaſi obſcuriſſima nocte circumfuſa, in perpetuis futura eſſet tenebris, cæcaque rerum omnium ignoratione. Hæc ſpectra rerum atque idola hauſta à ſenſibus ſinu ſuo recondit, ſpeculatur, variè inter ſeſe connectit, functioneſque profert quæ nihil cum ſenſibus commune habent: cœleſtium & immutabilium ardentiſſimo flagrans deſiderio, caduca & incerta omnia ſubter ſe habet; his occupari quidem poteſt, ſatiari non poteſt, capacem enim Deo animam quidquid Deo minus erit non continebit.

QVANQVAM verò anima ex ſe pura ſit & immortalis, dum corpus induit conditionem mutat, fit quoque, vt corporis, ſic & morborum ipſius ſocia: huius ad nutum totam ſe accommodat, eoque tantum inclinat, quo trahit corporis natura & temperamentum. Quòd ſit, ſitque tali modo affectum corpus, hoc habet ab elementis, ex quibus vniuerſa partium omnium compages exſurgit. Stulti qui vnicum putant elementum, homo enim neutiquam doleret, neque enim eſſet à quo doleret. Sed magis deſipiunt, qui infinita inuehunt: Quid enim magis ridiculum eſt, quam finito, imo exiguo corpori, infinitas partes tribuere? Apage ergo vis illa & turbulenta concurſio atomorum immutabilium, & per inane reuera volitantium. Rectè quidem qui quatuor elementis, igne, aëre, aqua, & terra coagmentatum corpus exiſtimant: his rerum omnium primordiis, ſurſum deorsùm vltrò citróque permeantibus, mira ſanè viciſſitudine, mundi natura continuata eſt: his firma ſtabilique in corpore concordia perfruentibus, inculpata fœlixque in æuum conſeruatur ſanitas: quod ſi horum conſpiratio, mirandumque interpelletur commercium; morborum numerus irruit innumerus, fortunæ, caſus, elementarium, imò & cœleſtium omnium, homo luſus eſt; itavt, ad tuendam hanc adeò incertis nixam fundamentis vitam, tota vita diſcendum ſit viuere.

EX Elementis inuicem mixtis temperamentum emergit; raro quidem ad pondus, ſæpiùs ad iuſtitiam, ſæpiſſimè, modò ad hanc, modò ad illam inclinans qualitatem. Hinc pro vario qualitatum dominio, varias elementorum induimus perſonas. Ignem bilioſus repræſentat, dum flammæ ad inſtar, inquietus hinc indéque ruit; dum, armorum bellique amans, in obuios quoſque fertur; excandeſcit continuò, in furias agitur. Aëris ſpeciem exhibet ſanguineus, dum, in omnibus temperatus, vitam in æuum iucundè placidéque protrahit. Pituitoſum Neptuni imperio mancipatum ſomno alto quaſi ſepultum, aut aquis merſum diceres. Infimæ denique ſortis homo, melancholicus eſt, quem infimum & ignobiliſſimum elementum dominatur. Huius temperamentum, tum ad vitæ diuturnitatem, tum ad animi præſtantiam, planè ineptum: ignauus eſt hebes, querulus, omnia tuta timet, mortem expetit quaſi viuere impotens. Dicam compendio? frigidus eſt & ſiccus, hoc eſt, viuit quaſi non viuat, vita enim in calido & humido ſita eſt.

MELANCHOLICVS non minùs corporis affectibus laborat quam mentis, hincque non minùs indiget Philoſopho quam Medico. Ille optimis vtens philoſophiæ pręceptis, ignauum hortatur, mœrentem exhilarat, fruſtra metuentem confirmat. Hic medicamentis, optimóque rerum non naturalium vſu, ipſius emendat intemperiem, craſſum humorem incidit, tetros arcet vapores, atque in eo totus hæret vt calefaciat & humectet. Aërem ergo quærat melancholicus humidum quidem, ſed paulò ad calidius vergentē; coctu facilia, bonique ſucci ſumat alimenta; vino vtatur, ſed parce nam imbecillus melancholici calor ardore vini euictus marceſcit, non ſecus ac maior flamma minorem extinguit illicò: hinc fit vt poſt liberaliùs aſſumptum vinum, querantur, doleant, fleant impensè, expaueſcant, quaſi imminentem ruinam præſentiant. Veneris vſus maximi hîc eſt momenti, ſed, ſi vſquam, hîc adhibenda præcautio: lubrica via hæc eſt: Venus melancholicis, præ cæteris omnibus, funeſta eſt & amica: immoderata vbi imbecillum calorem diripit, humorem paucum admodum ſpiritumque exhaurit diſſipatque, malum inuehit, proh dolor! immedicabile, facultatum exoluit robur, in ipſis trucidat incunabulis, primamque ipſorum ætatem facit vltimam. Moderata, dum craſſum humorem attenuat, frigidam corporis emendat intemperiem, flatus diſcutit, agreſtem animum lætitia miráque perfundit ſuauitate, ſanitatem eam corpori conciliat, vt alium hominem, aliudque diceres corporis temperamentum.

DEPONE hic, Cato, ſeueram frontem; veneris hæc ſacra ſunt ſuo cuique tempore celebranda: hæc rerum omnium & ſuauiſſima eſt, & potentiſſima. Vino quid potentiùs? Ipſa tamen bacchum inter proprios ſubditos numerat. Heroe terra marique indomito, quid fortiùs? De ipſo tamen ad veneris conſpectum actum eſt, cedit vltrò lubenſque, ſine viribus ad genua prouoluitur, Reginam agnoſcit. Vis plura? Cætera vincit omnia, Deum quoque vinceret ſi poſſet attingere. Hæc vna, inter res omnes, ſpeciei ſimul & indiuidui ſtudet conſeruationi, dum, huic quondam tam liberaliter conceſſam vitam, iucundam facit, fœlicem, diuturnam. Verum ipſius vis, nuſquam elucet luculentius quam in melancholico: cæteros afficit quidem, ſed leuiùs: illum ita immutat, vt ampliùs non appareat melancholicus; immò præ cæteris omnibus, audax, ingenioſus, hilaris: terrenus enim craſſuſque humor, vbi ignem concepit, feruentior efficitur. Quinetiam venere melancholicorum ferè omnium morborum turba profligatur: intumeſcentibus calore vaſis meatus liberantur, tolliturque fœliciter tam frequens & calamitoſa ipſis obſtructio; eodem calore, quaſi aculeo, obeundis tarda muneribus excitantur viſcera omnia; ſerum melancholicis adeò infenſum exſiccatur, vaneſcit; ſpiritus craſſi & nebuloſi attenuantur, exhilarantur; tandemque veneris ope vitam ingratam atque miſeram, cum fœlici & ſuauiſſima, quaſi denuò naſcens, commutat melancholicus.

Ergo Melancholicis Venus.



Proponebat Lutetiæ RAPHAEL MAVRIN, Annotenſis, A. R. S. H. M. DC. LVIII.